intertextæ; quam chiridatam veteres vocant. Ea qui utebantur, quia ad inſtar tunicæ femineæ prolixa, & ad talos uſque demiſſa, manicis etiam brachia uſque ad primiores manuum digitos amiciebat, molles, & evirati habebantur. Poſtea dalmaticæ cum Senatoriæ & Regiæ veſtes eſſe cœpiſſent, uti digniores, auguſtioreſque translatæ ſunt ad ſacros eccleſiaſticos uſus, & formatæ prius in modum crucis. Alcuinus *c. quid ſignificent veſtimenta*, Rabanus Maurus *l. 2. de inſtit. cleric. c.* 20. Amalarius *l.* 2. *c.* 11. Iſidorus *l.* 19. *orig. c.* 22. Hæc veſtis primis Eccleſiæ ſæculis non omnibus Epiſcopis communis fuit, poſtea Epiſcoporum propria veſtis dicta, tandem diaconis, & ſubdiaconis conceſſa eſt. Vualfridus Strabo *de rebus Eccl. c.* 24. ibi: *Primo quidem ſacerdotes dalmaticas ante caſularum uſum induebant; poſtea vero cum caſulis uti cœpiſſent, dalmaticas diaconibus conceſſerunt.* Ipſos autem Pontifices eis uti debere, ex eo clarum eſt, quod Gregor. vel alii Romanorum Præſides aliis Epiſcopis earum uſum permiſerunt, aliis interdixerunt: ubi intelligitur, non omnibus tunc fuiſſe conceſſum, quod tunc fere omnes Epiſcopi, & nonnulli Presbyterorum ſibi licere exiſtimant, ideſt, ut ſub caſula dalmatica veſtiantur. De ejus origine & forma nonnulla Vicecomes *d. l.* 3. *c.* 25. 26. *&* 28. Sauſay *in panopl. Epiſc. l.* 6. *c.* 6. Dartis *ad* 23. *d.*

34 qq *Chirothecas.*) Eas ab Apoſtolis emanaſſe prodidit Honorius Auguſtodunenſis *in gemma animæ, l.* 1. ibi. *Chirothecarum uſus ab Apoſtolis eſt traditus.* Ita legendum eſt, non *ab epiſtolis*, ut vulgo legitur. Innocentius III. *l.* 1. *de myſter. Miſſæ, c.* 57. ibi: *Manus operit chirothecis.* Plura de illis Sauſay *in Panopl. Epiſc. l.* 5. *c.* 1. Vicecomes *d. l. c.* 37. Bulengerus *l.* 1. *opuſcul. c.* 4. Durantius *l.* 3. *in ration. divin. officii, c.* 12.

35 rr *Annulum.*) Etiam inter ornamenta Epiſcopi enumeratur annulus, *c. clerici de vita & honeſt. cleric.* qui traditur tempore conſecrationis in ſignum matrimonii inter ipſum, & Eccleſiam celebrati, juxta tradita *in cap. illud, de præſumpt.* aut in ſignum poteſtatis adminiſtrandi Sacramenta. Iſidorus *l.* 2. *de eccl. officiis, c.* 5. Concilium Aquiſgran. *can.* 9. Beda *in collect. de ſeptem ordin.* Rupertus *l.* 1. *de divin. officiis, cap.* 25. Alias rationes hujus annuli ex variis tradit Hallierius *de ſacris elect. pag.* 1001. *de impoſitione manuum art.* 4.

36 ſſ *Planetam.*) Ultima veſtis ſacerdotalis eſt planeta, ſive caſula, communis Epiſcopis, & Presbyteris. Carnot. *ſermone* 3. *de ſignificat. indument.* ibi: *His omnibus indumentis ſupponitur caſula, quæ alio nomine planeta vocatur.* Innocentius noſter *l.* 1. *myſter. Miſſæ, c.* 58. ibi: *Poſtremo ſuper omnes veſtes induit caſulam, ſeu planetam quæ ſignificat charitatem.* Plura de ea Vicecomes *d. l.* 2. *c.* 26. Sauſay *in Panopl. l.* 6. *c.* 9.

37 tt *Mitram.*) Omiſſis variis mitræ acceptionibus, tam apud ſacros, quam profanos ſcriptores, hic mitra accipitur pro tegumento capitis proprio Epiſcoporum. Innocentius noſter *ubi ſup. l.* 1. *c.* 6. *Mitra Pontificis utriuſque Teſtamenti ſcientiam ſignificat; nam duo cornua, duo ſunt Teſtamenta.* De ejus nominibus, forma, & ſignificatione agunt Merillus *l.* 3. *obſerv. c.* 40. Vicecomes *l.* 3. *c.* 29. *cum ſequentib.* Sauſay *in panopl. Epiſc. l.* 1. *per totum*, Raynaud. ſeu qui auctor eſt tractatus *de Pileo, ſect.* 14. Lælius Biſciola *l.* 17. *horarum, c.* 13. Rouſſelius *l.* 8. *hiſt. Pont. juriſd. c. finali.*

uu *Pallium.*) De eo fuſe egi *in tit. de auctorit. & uſu pallii.*

38 xx *Pontifex non utatur.* Unde R. Petrus in marmorea ſtatua, quæ habetur Toloſæ in Eccleſia S. Stephani, licet Pontificalibus ornamentis indutus, ſine baculo expreſſus eſt. Aliquos tamen Pontifices baculo uſos fuiſſe, videtur probari ex Luitprando *l.* 6. *hiſtoriæ*, ubi de Benedicto Antipapa ita refert: *Poſt hæc pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum Pontificali ferula, quam manu geſtabat, Domino Leoni Papæ reddidit.* Reginus *l.* 2. *chronicæ*, de ipſo agens, ibi: *Ferulamque paſtorali manu eius abreptam coram omnibus in fruſta confregit.* Sed adhuc crederem, nunquam eos baculo uſos fuiſſe, cum nec in aliquo Eccleſiæ Concilio id legamus, & fabulam Benedicti refellant DD. infra citandi.

39 Exponitur cap. nullus de conſec. diſt. 2.

yy *Baculo paſtorali.*) Signanter expreſſit Innocentius *paſtorali*, ad differentiam aliorum, quibus diverſæ perſonæ utuntur. Reges enim plerumque baculis uti, probant Petrus Gregor. *lib.* 5. *de Repub. c.* 2. *a n.* 21. & *lib.* 7. *c.* 2. *nu.* 12. Pancirola *lib.* 1. *variar. c.* 19. Opingius *de jure inſignium c.* 2. §. 4. & §. 6. *ſect.* 5. *membro* 5. & monachos baculis uti refert Caſſianus *libro* 1. *collat. c.* 9. Ubi notavit Gazeus. Abbates etiam, quibus conceſſum eſt jus mitræ, & baculi, baculum deferre, late probant Sauſay *in Panopl. Epiſc.* benedictus Ephtenus *l.* 4. *diſquiſit. tr.* 5. *diſquiſit.* 5. Alii etiam baculis utuntur de quibus eruditiſſimi viri Novarinus *in ſchediaſmate, l.* 1. *c.* 38. Coronel. *ad Gongoram, ſoneto* 6. In præſenti ergo agitur de baculo Epiſcopali, qui aliquando dicitur *Cambuta*, ut probat Menardus *ad D. Greg. pag.* 189. Baculus enim inſigne eſt Epiſcoporum. Conciliorum Tolet. 4. *can.* 77. *Si Epiſcopus eſt, recipiat coram altari orarium, annulum, & baculum.* Unde in Synodo 8. Conſtantinop. *act.* 7. ingreſſo Phocio Synodum cum baculo, Marinus Legatus S. A. juſſit auferri baculum, dicens: *Baculum ſignum eſt dignitatis paſtoralis, quod hic habere non debet, qui lupus eſt, non paſtor.* Quare inveſtitura Epiſcopalis traditur per annulum, & baculum. Gofridus *de inveſtituris laicorum*; & ideo in aliquibus Eccleſiis mos inolevit, ut defuncto Epiſcopo, baculus ad regem deferretur, ut ab eo ſucceſſor inveſtituram per baculum reciperet; quem uſum improbavit Innocentius III. *l.* 1. *ep.* 47. jubens Archiepiſcopo Callenſi, *Ut cum te, vel aliquem ſuffraganeorum tuorum contigerit mori, baculus paſtoralis, & annulus in Eccleſia remaneant propria, ſub fideli cuſtodia conſtituti, ad ſucceſſoris uſum, cum Deo favente conſecrationem acceperit, conſervandi.* Notavit Boſquetus *ad Innocent. l.* 1. *ep.* 87. Et ſicut in conſecratione Epiſcopi accipiunt baculum, & annulum, ita in degradatione baculus illis aufertur. Plura de Paſtoralis baculi origine, uſu, & ſignificatione adducunt Vicecomes *d. l.* 3. *c.* 41. Sauſay *in Panopl. Epiſc. l.* 2. Juretus *in notis ad Ivonem, ep.* 157. Opingius *ubi ſup.* Aloix *in vita S. Aburci, c.* 3. Stephanus Durantius *de ritibus Eccleſiæ l.* 2. *c.* 9. *n.* 38. Bulengerus *l.* 1. *opuſc. c.* 32. Aloyſius Novarinus *l.* 1. *ſchediaſm. ſacr. proph. c.* 28. Petrus Greg. *l.* 15. *ſyntag. c.* 12. *n.* 38. Franciſcus Hallier. *de ſacris elect.* 2. *p. ſect.* 8. *c.* 9. *art.* 4. §. 2.

Sed difficilis eſt in hac parte textus *in c. nullus* 57. *de conſecr. diſt.* 2. in illis verbis; *Nullus Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat cum baculo introire.* Igitur non licet Epiſcopis deferre baculum. Pro cujus textus expoſitione dicendum eſt, in eo textu non agi de baculo paſtorali, ſed de baculo communi; & deciditur, cum baculo, & velato capite non licere Epiſcopo, aut ſacerdoti celebrare. Quæ interpretatio colligitur ex eo, quod æqualiter prohibetur Epiſcopo, ac ſacerdoti cum baculo miniſtrare: licet enim ob infirmitatem liceat aliquando in choro horas canonicas cum baculo recitare, Concilium Aquiſgran. ſub Ludovico *c.* 131. ibi: *Quam non pompatice, vel inhoneſte, vel incompoſite, ſed cum reverentia Dei, & timore ingrediantur, nec cum baculis in choro, exceptis debilibus.* Tamen Miſſam celebrare cum baculo non licet, ut docet, & alia pro ipſius textus interpretatione adducit litteratiſſimus vir, in ſacra Theologia apprime doctus, in peritia canonica non male meritus P. Gabriel de Henao *t.* 2. *de ſacrificio Miſſæ, diſp.* 27. *ſect.* 3. 40

zz *Propter hiſtoriam.*) Gloſſa in præſenti exiſtimavit hiſtoriam eſſe, quia B. Martialis, qui miſſus fuit a D. Petro in Germaniam cum ſocio quodam ſuo Matthæo, eo mortuo reddit ad D. Petrum, a quo baculum accepit, quo ſocium vitæ reſtituit. Sed hæc hiſtoria præterquam à nullo ex Scriptoribus Eccleſiaſticis refertur, admitti non poteſt, cum hiſtoriam hic indicatam expreſſerit noſter Innocentius *l.* 1. *Myſter. Miſſæ, c.* 62. in illis verbis: *R. Pontifex virga non utitur, pro eo quod B. Petrus Apoſtolus baculum ſuum miſit Eucherio primo Epiſcopo Treverenſi, quem una cum Valerio, & Materno ad prædicandum Evangelium genti Teutonicæ deſtinaverat, cui ſucceſſit in Epiſcopatu Maternus, qui per baculum S. Petri de morte fuerat ſuſcitatus; quem baculum uſque hodie cum magna reverentia Treverenſis ſervat Eccleſia.* Sequuntur Innocentium D. Thomas *in* 4. *d.* 24. *q.* 2. *art.* 9. Vicecomes *d. l.* 3. *de ritibus Miſſæ, c.* 42. Hallierius *ubi ſup.* Etſi ad primam hiſtoriam hæc verba poſt D. Thomam *in* 4. *d.* 24. *quæſt.* 3. *ad* 8. *argum.* referant Otho Friſingenſis *l.* 3. *c.* 15. I. Stephanus Valent. *de poteſt. R. P. c.* 8. Falſo autem ex Luitprando *l.* 6. *c.* 11. & Reginone *l.* 2. *chronici*, probant Juretus *ad ep.* 157. *Ivonis*, Valentinus, *ubi ſup.* R. Pontificem olim uſum fuiſſe virga paſtorali, ſeu ferula paſtoritia, ut ipſi nominant: quos refellit veram hiſtoriam a Luitprando traditam referens, & explicans Theophilus Raynaud. *t.* 10. *in tract. de Corona R. Pontificis, c.* 4. 41

aaa *Myſticam rationem.*) Plures hic afferunt Interpretes. Prima eſt, quia Epiſcopus baculum ab alieno accipit. Concilium Aquiſgran. *can.* 9. ibi: *Sacerdoti dum conſecratur, datur baculus.* Unde cum Pontifex a nullo accipiat juriſdictionem, non poteſt de manu alicujus baculum accipere. Secunda, quia baculus in ſummitate curvus ſignificat juriſdictionem Epiſcopi eſſe limitatam; unde cum Pontifex non habeat limitatam juriſdictionem, baculo non utitur. Has, & alias rationes proſequuntur Hallier. *ubi ſup.* Bulengerus 1. *opuſcul. cap.* 31. Juretus *ad Ivonem epiſt.* 157. Auctor Romæ Subterraneæ *cap.* 29. Hallierius *ubi ſup. pag.* 1005. Barboſa *de poteſt. Epiſc. part.* 1. *tit.* 1. *c.* 2. Theophilus *t.* 10. *de Corona R. P. cap.* 4. 42

bbb *Aliorum Pontificum.*) Ideſt Epiſcoporum. Ex his verbis conſtat, Patriarchas, & Epiſcopos Eccleſiæ Orientalis baculos paſtorales deferre: quod etiam ſuadetur ex his, quæ de Phocio ex Concilio Conſtantinop. retulimus, quos ab Imperatore accepiſſe refert Hallier. *ubi ſup. pag.* 1004.

COMMENTARIUM.

DEcidit ergo Innocentius in hac diffuſa epiſtola, in conſecrationibus Epiſcoporum, & ordinationibus Presbyterorum Græcos debere eas unctiones adhibere, quas adhibent Latini. Quæ deciſio ſingularis eſt in jure noſtro. Eam tamen pertractant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti*, Franciſcus Hallierius *de ſacris elect. ſect.* 8. *art.* 2. *pag.* 1093. Menardus *ad D. Greg. pag.* 291. *&* 307. & alii in ſuperioribus notis laudati. 43 Sententia hujus textus refertur.

Sed hæc Innocentii deciſio, dum ſupponit apud Latinos adhiberi unctionem, tam in conſecratione Epiſcopi, quam ordinatione Presbyteri, difficilis redditur ex ea conſideratione. Et primo apud Latinos unctionem non adhiberi, probatur argumento negativo; ſiquidem ſeduli, & antiqui rituum eccleſiaſticorum ſcriptores Eccleſiæ Latinæ, dum ritus adhibendos in ordinationibus Epiſcoporum, & Presbyterorum recenſent, non meminerunt hujus ſacræ unctionis, ut D. Iſidorus *l.* 2. *de divinis officiis, c.* 10. Alcuinus *eod. tr. tit. Qualiter Epiſcopus in Romana Curia ordinetur*, Rabanus Maurus *l.* 2. *de inſtit. cleric. c.* 5. Carnotenſis *de excellent. ſacror. ordin.* Similiter Concilia, ubi de his cæremoniis agitur, ut Carthag. 4. *can.* 2. Tolet. 4. *can.* 27. Aſquiſgran. ſub Ludovico Pio *l.* 1. *c.* 2. nullam faciunt mentionem hujus ordinationis: igitur quia in Eccleſia Latina talis unctio non adhibetur. Augetur hæc conſideratio *ex c. præterea Servatoris, diſt.* 33. ubi Nicolaus Pontifex aſſerit, nunquam ſe legiſſe unctionem adhibitam fuiſſe in conſecratione, ſive ordinatione Epiſcopi, aut Presbyteri. Secunda difficultas verſatur circa aliam partem præſentis epiſtolæ, ubi aſſerit Innocentius, in Eccleſia Orientali hanc unctionem in uſu non fuiſſe, de cetero vero obſervandam eſſe; nam etiam ante Innocentium noſtrum hanc unctionem apud Græcos in uſu fuiſſe probatur ex Dionyſio *de Eccleſ. hierarch. c.* 4. ibi: *Unguento utitur Pontifex in omni fere Pontificio munere.* D. Greg. Nazianz. *orat.* 4. *Unguentum quoque ipſe quoddam habeo (ſed quo Sacerdotes ſolum & Reges unguntur, utpote vario, & exquiſito, & noſtra cauſa effuſo) magni unguentarii arte confectum, atque utinam mihi ſuavem ejus odorem Deo offerre contingat.* Etiam probatur ex hiſtoricis Scriptoribus illius nationis, qui referunt in variis Epiſcoporum conſecrationibus adhibitam unctionem fuiſſe. Nicephorus *l.* 7. *hiſtoriæ, c.* 40. dum panegyricam orationem in laudem Paulini, & aliorum Præſulum Eccleſiæ Orientalis refert, ita exorditur: *O amici Dei, & Sacerdotes, qui ſacroſancto talari induti, cœleſtis gloriæ corona, divina unctione, & ſacrata Sancti Spiritus ſtola circumveſtiti.* Et *l.* 11. *c.* 56. Moſem Sanctiſſimum Antiſtitem Epiſcopali unctione accepta ordinatum fuiſſe refert Ignatius Taracin. *in ejus vita.* Metaphraſtes *in vita S. Joannis Chryſoſtomi, cap.* 33. relatus a Surio *die* 27. *Januarii*, tradit cum ſacro chriſmate conſecratum, & in excelſo loco Eccleſiæ collatum fuiſſe: idem de S. Nicolao is refert in ejus vita, *c.* 13. relatus a Surio *die* 6. *menſis Decembris.* Unde conſtat in Eccleſia Orientali jam a primis Eccleſiæ ſæculis hanc unctionem in uſu fuiſſe. 44 Quædam difficultas adducitur.

45 De ſacra unctione apud Latinos.

Ad hujus textus expoſitionem, & difficultatis adductæ ſolutionem ſciendum eſt, hanc ſacram unctionem apud Latinos in conſecrationibus Epiſcoporum, & ordinationibus Presbyterorum, jam a primis Eccleſiæ ſæculis fuiſſe uſitatam, ut ex Anacleto probatur, cujus meminit Innocentius in præſenti, & nos ſupra verba retulimus ex D. Cypriano, ſi ille auctor eſt opuſculi de operibus Chriſti Cardinalibus, ubi de unctionibus eccleſiaſticis ita ait: *Nec tamen ceſſantibus his, quæ ritu antiquo inoleverant, cum jam in populo chriſtiano circumciſio videretur damnabilis, & ſacrificia idololatriæ imputarentur, unctionis myſterium religio Chriſtiana contempſit; ſed ceteris generali ſanctione damnatis, non ſolum in Regibus, vel Sacerdotibus unctionis honor permanſit, ſed in omnem populum catholicum effuſa eſt hujus gratiæ plenitudo.* Ex Paciano Barchinonenſi Presbytero *epiſt.* 3. *ad Sempronianum*, ibi: *Qua nos conſignat unctus Sacerdos.* Leone Magno *ſerm.* 8. *de paſſione Domini*, ibi: *Nunc enim & ordo clarior Levitarum, & dignitas amplior ſeniorum, & ſacratior eſt unctio Sacerdotum.* Etiam probatur ex veteri Ordine Romano, & aliis ſacramentalibus codicibus relatis a Menardo *in notis ad Sacram. D. Gregorii, pag.* 291. *&* 307. Quamplures etiam Scriptores Sacrorum rituum Eccleſiæ, hujus unctionis meminerunt, ut Amalarius Fortun. *l.* 2. *de divin. officiis, c.* 14. Eduenſis *de Sacram. Altaris c.* 9. Honorius Auguſtod. *in gemma animæ, l.* 1. *c.* 181. 184. *&* 189. Fulbertus Carnot. *ep.* 20. & alii: ac hujus antiquæ unctionis varias rationes morales, & myſticas tradunt Hallier. *ubi ſupra pag.* 1021. *&* 1023. Sauſay *in Panopl. Epiſc. lib.* 5. *cap.* 1.

46 De eadem apud Græcos.

Etiam ſciendum eſt, apud Græcos viſibilem hanc unctionem in ordinationibus Epiſcoporum & Presbyterorum nullo modo admiſſam fuiſſe, quod duplici argumento probatur, alio affirmativo, negativo alio. Affirmativum deducitur ex præſenti textu, in illis verbis: *Cum apud vos non conſueverint Pontifices cum conſecrantur, inungi.* Ex Simeone Theſſalonicenſi *de Sacram. ſeu myſteriis Eccleſiæ, l.* 8. ubi reprehendit uſum Latinorum in hac unctione, his verbis: *Retentus Jeſus Chriſtus ipſe ei chriſma, & manibus, & capiti &c.* ex variis Eccleſiaſticis Scriptoribus illius nationis, quorum verba ad adſtruendam ſententiam hanc refert, & expendit Hallier. *ubi ſupr. p.* 1009. Argumentum negativum deducitur ex Dionyſio *l.* 4. *de Eccleſ. Hierarch.* ubi dum agit de ordinationibus Græcorum, nullam hujus unctionis mentionem facit, nec in Euchologiis ipſorum ſacra hæc unctio in ordinationibus recenſetur, ut notavit Menardus *ad Sacr. D. Gregorii, pag.* 322. igitur quia apud Græcos hæc ſacra unctio olim in uſu non erat.

Quibus præmiſſis ratio præſentis Decretalis ex eo provenit; nam cum Rom. Eccleſia omnium ſit mater, & magiſtra, *c. ſignificaſti* 4. *de elect.* ubi probavi; & quæ ab ea ſtatuuntur, ab omnibus debeant obſervari, *c.* 1. *de conſtit.* & conſuetudines Eccleſiæ Rom. ab omnibus ſint cuſtodiendæ, ne membra a capite diſcedant, *c. nolite* 3. *c. hoc veſtræ, cap. qui neſciat, diſt.* 11. ubi plura Acunna, & Joan. Dartis, Petr. Greg. *l.* 1. *partit. tit.* 4. *c.* 5. ideo poſt diffuſam de variis unctionum generibus tractationem. Innocentius tandem concludit, unctionem viſibilem in ordinationibus Epiſcoporum, & Presbyterorum ab Eccleſia Latina uſitatam, a Græcis etiam obſervari debere, ne unione facta utriuſque Eccleſiæ (ut noſtri Innocentii temporibus facta erat) in hac ſacra, & viſibili unctione ab Eccleſia Rom. univerſali diſſentiret. Nec difficultas prima in contrarium adducta obſtat; nam licet Scriptores, & Eccleſiæ Patres in ea expenſi non meminerint hujus unctionis, parum, aut nihil ex eo evincitur; ſiquidem alii ipſius ſæculi Scriptores illius meminerunt, & juxta Philoſophos, quam tam practicos, infirma eſt auctoritas argumenti negativi: quare ſi unus teſtis referat factum, & centum omittant, prævalet depoſitio unius. Unde cum pro noſtra ſententia tot adſint Scriptores, qui etiam illis ſæculis meminerunt hujus unctionis, illis potius, quam iis, qui ipſam omiſerunt, fides præſtanda eſt. Nec obſtat argumentum deductum *ex d. c. præterea*; nam ut recte animadvertit Gloſſa in eo textu, Nicolaus non negat Presbyterorum manus oleo eſſe inungendas, ſed tantum chriſmate non eſſe liniendas. Ut enim ſupra dixi, ea differentia verſatur inter unctionem Presbyteri, & Epiſcopi, quod in unctione Epiſcopi chriſmate unctio fit; at vero in unctione Presbyteri, tantum oleo conſecrato. Unde recte Nicolaus affirmat, Presbyterorum manus chriſmate non eſſe perungendas. Alia proſequitur Franc. Hallier. *ubi ſup. pag.* 1017. Nec ſecundum augmentum adverſatur, cui duplici modo ſatisfieri poteſt. Primo auctoritates in eo relatas accipiendo de unctione myſtica, non vero de viſibili, ut eas explicat Menardus *in notis ad Sacram. D. Greg. pag.* 322. vel ea referendo ad tempus, in quo Eccleſia Conſtantinopolitana non per Græcum Patriarcham regebatur, ſed per Latinum, ut aliquando contigiſſe probavi *in c. quanto, de conſuet.* unde cum eo tempore juxta uſum, & conſuetudinem Eccleſiæ Latinæ Sacramentum Ordinis adminiſtraretur, ideo apud Scriptores Eccleſiæ Orientalis reperitur mentio hujus ſacræ unctionis, ut obſervat Hallier. *ubi proxime, pag.* 1017. 47 Traditur decidendi ratio, & diſſolvitur difficultas.

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

CAPUT PRIMUM.

a Innocentius III.

PAſtoralis, *Et infra*: Præterea nos conſulere voluiſti, an permitti debeat miniſtrare, qui ſine impoſitione manuum fuerit ad ordinem *b* Subdiaconatus aſſumptus: & ſi Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chriſmate, ſed oleo delinitus? Ad quod breviter duximus reſpondendum, quod in talibus non eſt aliquid iterandum, ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerat prætermiſſum.

NOTÆ.

1 a I*Nnocentius III.*) Nec in hac, nec in tertia collectione, ubi *ſub hoc tit. c.* 1. reperitur hæc deciſio, refertur Epiſcopus, cui Miſſa ſit; ſed ex aliis deciſionibus, ubi aliæ partes ejus proponuntur, reſtituenda eſt ita inſcriptio. *Innoc. III. Epiſcopo Helienſi*, ut *in c. paſtoralis, de reſcriptis*, ubi extat alia pars hujus textus, in cujus notis congeſſi alia fragmenta, quæ extant in hoc volumine compilata, ex quibus integra epiſtola reſtituenda eſt.

2 b *Subdiaconatus.*) Sed nonne in ordinatione Subdiaconi adhibetur manus impoſitio? Et certum eſt, non adhiberi, imo loco manus impoſitionis pro materia remota hujus gradus Subdiaconus accipit patenam, & calicem de manu Epiſcopi, *c. Subdiaconatus* 11. *diſt.* 13. Conc. Tolet. 4. *can.* 17. Iſidorus Hiſpalenſis *l.* 4. *de officiis c.* 14. *c. quia juxta* 5. *qu.* 6. Conc. Florent. *in decreto de unione Armen.* §. *Sextum Sacramentum.* Probant Diana *p.* 10. *tr.* 15. P. Gabriel Henao *de Sacrif. Miſſæ, diſp.* 26. *ſect.* 8. Quomodo ergo in præſenti ſupponitur, Subdiacono manus imponi tempore ordinationis. Quidam neotericus exiſtimabat, textum hunc eſſe accipiendum, cum gradus Subdiaconatus ſacer jam erat poſt tempora Urbani II. ut probavi *in cap. a multis, de ætat. & qualit.* Sed etſi verum ſit, temporibus Innoc. III. hujus textus auctoris, Subdiaconatus gradum ſacrum eſſe, non tamen inde conſtat Subdiacono manus imponi. Quare ea ſolutione omiſſa, verius dicendum eſt, in hoc textu pro *Subdiaconatus*, legendum eſſe *Diaconatus*, ut in variis exemplaribus legi teſtantur Ant. Aug. Hoſtienſis, & Innoc. *in præſenti*; Suarez *de cenſur. diſp.* 41. *ſect.* 4. *n.* 12. Vaſquez 3. *part. in* 3. *par. diſp.* 238. *n.* 154. Granados *controv. tr.* 1. *diſp.* 3. Cæſar *de Eccleſ. Hierarch. diſp.* 10. §. 1. Franciſcus Hallier. *de ſacris elect. pag.* 434. De manus impoſitione in ordinatione Presbyteri, & Diaconi adhibita, late agunt Morinus *de ſacris ordin. exercit.* 7. *&* 9. Arcudius *in concord. Sacram. l.* 6. *c.* 6.

BIBLIOTECA CENTRAL

C A P U T II.

Honorius III. *Capitulo a Brehemenſi.*

A Nobis humiliter quæſiviſtis, quid fieri debeat de mortuorum corporibus, qui tempore ſchiſmatici, & reprobi *b* Vvaldemari, a ſchiſmaticis ſunt *c* ſepulti? Et de indumentis Sacerdotalibus, cum quibus; necnon de altaribus, in quibus degradati Presbyteri celebrarunt. Nos autem inquiſitioni veſtræ taliter reſpondemus, quod non credimus, ob hoc dumtaxat ſepultos hujuſmodi exhumandos, aut debere indumenta talia iterum benedici, vel conſecrari altaria ſupradicta.

N O T Æ.

1 a *Brehemenſi.*) In ſexta Decretalium collectione legitur *Archiepiſcopo Londinenſi*; in alia, *Correctori Lundunenſi*: ſed veram inſcriptionem reſtituit Innoc. Cironius *in 5. collect. ſub hoc tit. c. unic.* ita: *Capitulo Brehemenſi*. Brehemenſis Eccleſia eſt in Germania, ſuffraganea Archiepiſcopi Colonienſis, ut refert Krantzius *l. 2. Metropoleos*, *c. 19.*

b *Vvaldemari.*) Vvaldemarus fuit filius Canuti, qui per annos 1206. pro Rege Daniæ ſe gerebat vivente Vvaldemaro Regni legitimo ſucceſſore; & cum faveret Canuto, in carcerem detruſus fuit, cum eſſet Epiſcopus Sleuvicenſis, a dicto Rege Vvaldemaro; & cum juſſu Innoc. III. e carcere liberatus adhuc non acquieſceret, exulare juſſus eſt ab illis Provinciis, ubi prædicto Regi ſuſpectus erat; & cum Bononiam peteret, & eſſet electus in Præſulem Brehemenſem ope Bernardi Saxoniæ Ducis, ut vult Cironius *hic*, ſive Philippi Svevi, ut refert Spondanus *ann. 1206. n. 5.* & Buchardus eſſet electus Præſul ipſius Eccleſiæ. Vvaldemarus excommunicatus fuit ab Innoc. III. quia non accepta venia Bononiam properaſſet. Poſtea abſolutus fuit, non tamen illi permiſſum Brehemenſem Eccleſiam retinere. Referunt Ciron. *in præſenti*, Spondanus *ubi ſupra*, Boſquet. *ad Innoc. III. l. 15. regeſtr. ep.* 3. De hoc Vvaldemaro accipiendus eſt præſens textus. Hinc Vvaldemarus ſchiſmaticus dicitur, quia adhæſit Philippo Imp. ſchiſmatico.

c *Sepulti.*) Cum ipſi nec ſchiſmatici, nec excommunicati eſſent, ſed fideles, aut clerici, aut laici; alias ſi eſſent ſchiſmatici, exhumari deberent, juxta textum *in c. ſacris*, *de ſepult.* & cemeteria, ubi ſepulti erant, reconciliari, *cap. conſuluit de conſecr. Eccleſiæ*, ubi adducemus, quæ ad præſentem deciſionem ſpectant. Cum enim exhumatio, & reconciliatio ſpectent ad ſacramentalia, non vero ad Sacramenta, poſſunt in eis benedictio, & conſecratio iterari, *c. ſi motum 19. c. veſtimenta 41. de conſecr. diſt. 1. c. unic. de conſecr. Eccleſiæ*, *l. 6.*

C A P U T III.

Gregorius IX. *Archiepiſcopo a London.*

PResbyter, & Diaconus cum ordinantur, manus impoſitionem tactu corporali (ritu ab *b* Apoſtolis introducto) recipiunt: quod ſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenus iterandum, ſed ſtatuto tempore ad hujuſmodi ordines conferendos caute ſupplendum, quod per errorem extitit prætermiſſum. *c* Suſpenſio autem manuum debet fieri, cum oratio ſuper caput effunditur ordinandi.

N O T Æ.

1 a *London.*) Alibi legitur *Lugdun.* ſed legendum eſt, *Lundenſi Archiepiſcopo*, ut etiam emendandum docet Cironius *in c. ad noſtram*, *de probat. in 5. collect.* Londonien. enim tantum eſt Eccleſia Epiſcopalis, ut dixi *in c. cum olim 6. de conſuet.* unde legendum eſt *Lundenſi*, de qua Eccleſia egi *in cap. 2. de conſuet.*

b *Ab Apoſtolis.*) Sed hoc difficile admodum videtur; nam ut infra probabimus manus impoſitio materia remota eſt gradus Presbyteri, & Diaconi ex divina inſtitutione: igitur non ab Apoſtolis manus impoſitio fuit introducta. Pro hujus difficultatis ſolutione dicendum eſt, materiam Sacramenti Ordinis in minoribus ejus gradibus ex inſtitutione divina provenire, & ab Apoſtolis fuiſſe præſcriptam; nam ut dixi *in c. unic. de ſacra unctione*, & notant Hallier. *de ſacris elect. p. 441.* Diana *p. 11. tr. 2. reſ. 78.* in aliquibus Sacramentis tempore eorum inſtitutionis tantum Dominus noſter inſtituit, & præſcripſit, ut materiam aliquod ſignum ſenſibile, per quod poſſit effectus illius Sacramenti ſignificari; determinationem autem, & ejus præfinitionem Apoſtolis faciendam reliquit. Quod contingit expreſſius in Sacramento Ordinis; nam cum tempore ejus inſtitutionis nondum eſſent libri eccleſiaſtici, neque Epiſcopi conſecrati, qui manus imponerent, non potuit Dominus certam præfinire materiam cujuſcumque gradus. Quare cum Apoſtoli ex Domini delegatione præfiniviſſent, & ſtatuiſſent manus impoſitionem eſſe adhibendam: ideo in præſenti docetur, Apoſtolos inſtituiſſe manus impoſitionem in collatione graduum Presbyteri, & Diaconi.

2 c *Suſpenſio autem.*) Ita legitur in aliquibus codicibus, quæ verba ſi retineantur, accipienda ſunt de manus impoſitione accidentali, quæ non fit tacto capite, ſed ſuſpenſis tantum manibus, ut infra dicemus, & notavit Hallier. *de Sacris elect. pag. 438.* Si autem loco verbi *ſuſpenſio*, legatur *impoſitio*, illa verba referenda ſunt ad manus impoſitionem eſſentialem.

COMMENTARIUM.

3 Concluſio refertur, & probatur. EX his tribus deciſionibus ſequens deducitur diſputanda aſſertio: „ Si in collatione gradus Presbyteri, vel Diaconi manus impoſitio fuerit prætermiſſa, & in confirmatione oleum pro chriſmate adhibeatur, non fit iteratio, „ ſed prætermiſſum ſupplebitur. „ Probat text. *in c. un. in princ. de ſacra unctione*. Illuſtrant eam ultra Barb. & ab eo congeſtos in præſenti, Bellarm. *de Sacram. in genere*, *l. 2. c. 22.* Fr. Petr. a S. Joſeph, *de ſacram. 2. p. ſect. 3. diſp. 5. & diſp. 7. ſect. 3* Hallier *de ſacris elect. ſect. 8. art. 2. pag. 988.* Covar. *l. 1. variar. c. 10. nu. 4.* Baſil. Legion. *de confirm c. 2. & 3. 2. p.* Barb. *de jure Eccleſ. l. 2. c. 3. nu. 29.* Cæſar *de Eccl. hierarch. diſp. 8. §. 8. n. 3. & diſp. 10. §. 1. n. 7.* Vighel. *in meth. juris can. pag. 411.* Gibal. *de clauſur. diſp. 3. c. 2. §. 2. n 9.* Suar. *de Sacram. diſp. 33. ſect. 1.* Azor. *p. 2. inſtit. l. 5. c. 1.* Pax Jordanus *t. 1. l. 5. tit. 1. n. 3.* Jo: Pontius *in caſu theolog. diſp. 48. q. 2. concl. 8. nu. 14.* Dian. *p. 11. tr. 1. reſ. 50 & 54.*

4 Impugnatur tradita aſſertio. Sed hæc aſſertio quoad utramque partem difficilis redditur ea conſideratione. Certum enim principium eſt inter juris Pontificii Interpretes, Theologos, & Moraliſtas, omiſſis his, quæ ad eſſentiam Sacramenti deſiderantur, Sacramentum eſſe iterandum, non autem, quod omiſſum fuit, ſupplendum. Docent Hoſtien. *in c. un. de ſacra unctione*, *§. a quo & qualiter fiat*, Butrius *in d. c. un.* plures Summiſtæ congeſti a Diana *d. reſ. 50.* Sanch. *to. 2. conſil. l. 7. dub. 3.* Cum enim aliquid pro forma actus deſideratur, ſi illud deficiat, actus vitiatur, *c. ſane 12. qu. 2. c. revera*, *de conſecr. diſt. 2. c. chorepiſcopis*, *68. diſt. c. fin. de cond. appoſit.* ſed ad eſſentiam Sacramenti Ordinis deſideratur manus impoſitio Epiſcopi, ut materia remota requiritur chriſma, hoc eſt oleum balſamo mixtum: igitur cum in præſenti omitterentur eſſentialia Sacramenti Confirmationis, & Ordinis, non debebant ea ſuppleri, ſed integre Sacramenta iterari. Probatur minor, quoad primam partem ex D. Clem. *l. 8. conſt. c. 16.* Conc. Carth. 4. *can. 3.* ibi: *Ut non ſolum ab Epiſcopo manus ſuas ſuper eum tenente.* Et *can. 4. Ut ſolus Epiſcopus, qui benedicit, manus ſuper caput illius imponat.* Ex *c. 6. act. Apoſt.* ibi: *Orantes impoſuerunt ei manus.* Et D. Paul. 1. *ad Tim. c. 4.* ibi: *Cum impoſitione manus Presbyteri.* Et *c. 5. Manus cito nemini impoſueris.* Ex Div. Hier. *in c. 58. Iſa.* ibi: *Ordinatio non ſolum ad imprecationem vocis, ſed etiam ad impoſitionem impletur manuum*, D. Ambr. *l. de dignit. ſacerd.* ibi: *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam; Sacerdos imponit ſimplicem dexteram, Deus benedicit potente dextera.* Unde impoſitionem manuum eſſe eſſentialem materiam gradus Presbyteri, & Diaconi, facile probatur *ex c. multi 1. q. 3. c. Daibertum 1. q. 6.* Conc. Nicæno *in can. 9.* Antioch. *can. 10. & 17.* Trid. *ſeſſ. 14. c. 3.* pluribus SS. PP. & Pontificum teſtimoniis probant Bellarm. *de Sacram. Ordin. l. 1. c. 9. c. Presbyter*, *§. quorumdam*, *23. diſt.* Leand. *de Sacram. Ordin. diſp. 3. q. 6. 7. & 8.* Alia minoris pars, videlicet chriſma requiri de eſſentia Sacramenti Confirmationis, & oleum benedictum ſine balſamo non ſufficere, probatur ex Fabiano Papa *ep. 2.* ubi ait: *Ex divina inſtitutione provenire, ut oleum cum balſamo conficiatur.* Et *c. un. §. per frontis*, *de ſacra unctione*. Ex D. Cypriano, ſi ipſe auctor eſt ſermonis de unctione chriſmatis, Clemente Rom. *l. 7. conſt. c. 44.* Eugen. IV. *in decreto de Sacramentis*, in hæc verba; „ Secundum „ Sacramentum eſt Confirmatio: cujus materia eſt chriſma „ confectum ex oleo, quod nitorem bonæ conſcientiæ; & bal- „ ſamo, quod odorem bonæ famæ ſignificat, per Epiſcopum „ benedicto. „ Docent & probant Suar. *de Sacram. diſp. 12. ſect. 1.* Bellarm. *l. 2. de confirm. c. 8.* Baſil. *eod. tr. p. 2. c. 2. & 3.* igitur in præſenti, tam Sacramentum Ordinis, quam Confirmationis iterandum erat.

5 De Sacramentis, quæ imprimunt characterem. Hac difficultate non obſtante vera eſt præſens deciſio, pro cujus diſpoſitione ſciendum eſt: ex ſeptem Sacramentis Eccleſiæ tria, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, characterem imprimere, ut probant Bellarm. *lib. de Sacram. in genere*, *cap. 18.* Creſpetius *v. Character*, Laym. *de Sacram. cap. 7. a num. 1.* Valentia *tom. 4. diſp. 3. quæſt. 4. punct. 2.* Leander *de Sacram. in genere*, *diſp. 3. quæſt. 15.* Unde reiterari ſemel accepta non poſſunt. Trident. *ſeſſ. 7. cap. 9.* & Baptiſmum iterari non poſſe, probant can. 40. Apoſtol. textus *in cap. hanc regulam 57. 1. quæſt. 1. cap. attenditur 32. c. non licet 107. de conſecr. diſt. 4. c. 2. de apoſt.* Trid. *ſeſſ. 14. c. 2. l. 1. C. ne ſanctum Baptiſmum.* Plura Ant. Aug. *in epit. l. 22. tit. 26.* Juſtel. *in*

BIBLIOTECA CENTRAL

in c. 27. Eccleſiæ Africanæ, Albaſpin. *in Optatum*, *obſerv. 9.* Guttier. *de delictis*, *qu. 59.* Gibal. *de irreg. 2. p. c. 5.* Sfortia *in Conc. Trident. hiſtoria*. Confirmationis etiam Sacramentum iterari non poſſe, probant textus *in c. dictum eſt*, *cap. de homine*, *de conſecr. diſt. 5.* Conc. Cabilon. 2. *can. 22.* Trid. *dict. c. 9.* D. Greg. *l. 12. epiſt. 31.* Clemens *l. 3. conſtit. cap. 16.* alii congeſti a Baſilio *de confirm. 3. p. c. 1. num. 7.* Tandem Ordinis Sacramentum non eſſe iterabile, probatur *ex c. 1. 2. & 5. 68. diſt.* Concil. Tolet. 8. *can. 7. c. conſultationi*, *de temporib. ordin.* & aliis Conciliorum decretis, & SS. PP. teſtimoniis, quæ lata manu congerunt Ant. Aug. *in epit. juris Pontif. l. 27. tit. 34.* Bellarm. *l. 1. de ordine*, *c. 10.* Marchinus *de ord. tr. 1. p. 3. c. 4. n. 23.* Corolian. *in Breviar. ann. 43.* Hallier. *de ſacris elect. pag. 477.* ejus prohibitionis rationem expreſſit D. Cypr. *de ablutione pedis*, ibi: „ Nemo ſacros ordines ſemel datos iterum renovat, nemo „ ſacro oleo linitos iterum linit, aut conſecrat, nemo impo- „ ſitioni manuum, vel miniſterio derogat Sacerdotum, quia „ contumelia eſſet Spiritus Sancti, ſi evacuari poſſit, quod „ ille ſanctificat. „ Sed licet hæc Sacramenta non ſit iterabilia; tamen ſi in eis aliquid omittatur, quod ſalva reverentia Sacramenti, & abſque ulla iteratione ſuppleri poſſit, ſupplendum eſt caute, quod incaute fuit prætermiſſum, *cap. Spiritus*, *§. ecce*, *1. q. 1.* Debet autem ſuppleri debitis temporibus, ut poſt Summiſtas reſolvit Diana *p. 12. tr. 1. reſ. 50.*

6 De manus impoſitione. Secundo ſciendum eſt, manus impoſitionem variis modis accipi in noſtro jure, & apud SS. PP. aliquando accipitur pro Confirmationis Sacramento. Conc. Illiber. *can. 38.* Matiſc. 2. *can. 3.* D. Cypr. *ep. 73.* ex D. Clem. Urban. & aliis probant Baſilius *de confirm. c. 1. n. 7.* Vicecomes *de ritibus Confirm. l. 2. c. 2. cum ſeq.* Hallier. *in vindiciis de Sacram. Confirm.* Plerumque accipitur pro reconciliatione pœnitentis, *c. pœnitentes*, *c. de infirmis*, *c. is qui pœnitentiam*, *& per totam 26. q. 6. c. placuit*, *cum ſeq. 50. diſt.* Plura Albaſpin. *l. 2. obſerv. c. 31.* ſæpe laudatus D. Joan. Ant. de Otalora *de irreg. ex pœnit. 2. p. excurſ. 2. nu. 5.* Etiam accipitur manus impoſitio pro Baptiſmo, ut probant Ambianas *ad Tertull. in Apol. c. 39. in fine*, Severin. Binius *in notis ad decreta Melchiad.* Paſſim pro ordinatione accipitur, ut in auctoritatibus ſupra congeſtis in ratione dubitandi, & aliis relatis ab Hallier. *de ſacris elect. pag. 19. 430. & 989.* nec improprie, cum in ordinatione manus imponatur ab Epiſcopo, juxta illud Pauli ad Tim. 1. *c. 4. Manus cito nemini impoſueris.* Et primis Eccleſiæ temporibus per manus impoſitionem ordinationem fieri probatur ex Conc. Nicæno *can. 19.* Ancyrano *can. 10. c. Subdiaconus*, *23. diſt. c. 1. de ſimonia*, *c. Epiſc. 11. qu. 3.* Probant Coriol. *ann. 44.* Baronius *eod. anno*, Hallier. *de ſacris elect. pag. 430.* Duplex autem adhibetur manus impoſitio in ordinatione Presbyteri, & Diaconi. Alia eſſentialis, ut materia remota, quæ fit ab Epiſcopo cum prolatione formæ, *Accipe Spiritum Sanctum*; de qua in ſupradictis juribus agitur. Alia accidentalis, quæ fit ab Epiſcopo, dum ſacras preces recitat, & expandit manus ſuper ordinandum, de qua Hallier. *ubi proxime*, *pag. 986.*

7 De chriſmate Confirmationis. Tertio præmittendum eſt, materiam remotam Sacramenti Confirmationis ex inſtitutione divina eſſe oleum per Epiſcopum conſecratum, & ex præcepto Eccleſiæ cum balſamo permixtum. Unde ex inſtitutione divina ſufficere ad valide adminiſtrandum Confirmationis Sacramentum oleum per Epiſcopum conſecratum; ad rite vero conferendum deſiderari ex Eccleſiæ præcepto, ut balſamo ſit permixtum, docent poſt D. Th. Sotus *in 4. diſt. 1. q. 1. art. 2.* Navar. *in manual. c. 22. n. 8.* Cov. *l. 1. var. c. 10. n. 4.* Moure *in exam. Theol. moral. p. 3. c. 3. §. 3.* Valentia *4. tom. controv. diſp. 5. q. 1. p. 1.* Hugol. *de Sacrament. Confirm. c. 19.* Barb. *l. 3. juris Eccleſ. c. 3.* Dicaſtill. *de ſacram. t. 1. tr. 3. dub. 3. n. 29.*

8 Defectus quomodo ſuppleatur. Quarto obſervandum eſt circa ſupplementum eorum, quæ in collatione Sacramentorum contingunt, & quæ in illis omittuntur, diſtinguendum eſſe inter ea, quæ omittuntur, & de ſubſtantia Sacramenti deſiderantur; & ea quæ accidentalia ſunt. Primo caſu integrum Sacramentum iterandum eſt, ut ſi omittatur pars formæ; non enim dicitur iterari, quod nullum fuit, *c. ſolemniter*, *de conſecr. diſt. 1.* docent repetentes *in c. unic. de ſacra unct.* Secundo vero caſu nulla Sacramenti iteratione admiſſa, caute ſupplendum eſt, quod incaute fuit prætermiſſum. Sanch. *d. l. 7. conſil. dub. 3.* Diana *p. 1. tr. 2. reſ. 50.* Adhuc etiam diſcrimen conſtituendum eſt inter Sacramenta, quæ conſtant diverſis materiis, & formis, quarum una non pendet ab alia; ut Sacramentum Confirmationis, quod conſtat ex materia olei, & balſamo; Euchariſtiæ, quod conficitur ex pane, & vino: Extremæ unctionis, quod diverſis unctionibus adminiſtratur; Ordinis, quod diverſis materiis, traditione videlicet vaſorum, impoſitione manuum. Quæ enim tantum unica materia, & forma adminiſtrantur, ut Baptiſmus, & Pœnitentia, ſi aliquid in eis omittatur circa materiam, aut formam, totum Sacramentum iterandum eſt; in aliis vero, ſi una ex materiis omittatur, quæ non dependet ab alia, illa tantum ſuppleri debet, non autem totum Sacramentum iterari, ut docent Sanchez, & alii ſupra relati.

9 Referuntur variæ interpretationes. His præmiſſis, atque animadverſis, antequam rationem deciſionis afferamus, libet Doctorum interpretationem in præſenti referre, noſtramque etiam proponere. Et primo Covar. *l. 1. var. c. 10. n. 4.* Adrianus, & Paludanus, quos laudat, & ſequitur Baſilius *de confirm. 2. p. c. 2. n. 17.* Diana *p. 11. tr. 1. reſol. 84.* Hallier. *de ſacris elect. pag. 441.* exiſtimant in præſenti Sacramenta Ordinis, & Confirmationis eſſe denuo conferenda. Sed hæc interpretatio ſuſtineri non poteſt, quia repugnat litteræ text. *in c. 1.* ibi: *Non eſt aliquid iterandum*, *c. 3.* ibi: *Non eſt aliquatenus iterandum*. Quibus verbis excluditur non ſolum iteratio rituum, verum & omnium, quæ pro collatione Ordinis, & Confirmationis geſta erant: ergo & unctio cum oleo in Confirmatione, & traditio vaſorum in ordinatione iterari non debent, cum aſſerant Innoc. III. & Greg. IX. non eſſe aliquid iterandum. Aliter hos textus accipiunt Innoc. Panor. & Barb. *in præſenti*; exiſtimantes in his juribus omiſſam fuiſſe manus impoſitionem accidentalem, non vero eſſentialem, & ſic non iterari manus impoſitionem eſſentialem adhibitam, ſed tantum ſuppleri accidentalem, quæ deerat. Quæ interpretatio adaptari non poteſt nec deciſioni text. *in d. c. 1.* nec *in d. c. 3.* Non textui *in d. c. 1.* quia in eo agitur de ſupplenda manus impoſitione, quæ adhibetur in ordinatione Diaconi, ibi: *ad ordinem Diaconatus*. Sed in ordinatione Diaconi tantum una eſſentialis manus impoſitio adhibetur, non duplex, ut in ordinatione Presbyteri, ut docet Hallier. *ubi ſup. p. 441.* igitur text. *in d. c. 1.* accipi non poteſt de manus impoſitione accidentali. Etiam adaptari non poteſt deciſioni text. *in d. c. 3.* quia licet loquatur de Ordinatione Presbyteri; tamen dum Pont. affirmat ſupplendum eſſe caute, quod per errorem fuerat prætermiſſum, ſtatim progreditur ad manus impoſitionem accidentalem, quæ fit expanſis manibus; igitur antecedenter Gregorius egerat de manus impoſitione eſſentiali.

His igitur interpretationibus omiſſis, vera ejus textus inter- 10 Traditur noſtra interpretatio.
pretatio, & ratio, ni fallor, provenit ex ſupra traditis: nam cum in Sacramento Ordinis in collatione graduum Presbyteri, & Diaconi detur materia diverſa, ab alia non dependens, videlicet traditio vaſorum, & impoſitio manuum, ut probat Hallier. *ubi ſup. §. 5. pag. 435.* & noviſſime pluribus relatis Leander, & in Sacramento Confirmationis deſideretur oleum, ut materia remota, ex inſtitutione divina; balſamum vero ex præcepto Eccleſiæ, ut ſupra probavi: ideo in his Sacramentis ubi dantur diverſæ materiæ omninoque diſtinctæ, quarum una non pendet ab alia, collato Sacramento cum una, alia tantum debet ſuppleri, non vero prima iterari. Ideo recte Innoc. III. & Greg. IX. decreverunt in gradibus Presbyteratus, & Diaconatus collatis cum unica tantum materia, videlicet traditione vaſorum, ipſam iterandam non eſſe; ſed tantum aliam materiam, videlicet manus impoſitionem, ſupplendam cum ſua forma partiali, videlicet: *Accipe Spiritum Sanctum.* Similiter Sacramento Confirmationis collato cum oleo tantum, ipſa unctio olei iteranda non eſt, ſed tantum ſupplenda unctio cum balſamo, quæ fuerat prætermiſſa. Nec inde inferas ex hac diverſitate materiarum diverſa dari Sacramenta; nam Euchariſtia, Ordo, & Extrema-unctio, licet diverſis conſtent formis, & partialibus materiis, non ideo plura ſunt Sacramenta. Et hæc pro interpretatione utriuſque deciſionis adducta defendi poſſunt, donec alius meliora attulerit, cui libenti animo herbam tradam.

Nec tunc obſtat dubitandi ratio ſupra adducta, cujus pri- 11 Diſſolvitur dubitandi ratio.
ma pars ex ſupra dictis expoſita manet. Nam cum admittamus, manus impoſitionem eſſe eſſentialem in collatione gradus Presbyteri, & Diaconi, ideo infertur, eam ſuppleri non poſſe abſque iteratione totius Sacramenti. Secunda autem pars illius difficultatis expoſitione indiget; ſiquidem ſupracitati Bellar. *l. 2. Confirm. c. 8. & 9.* Filliuc. *de Sacr. Confirm. c. 1. q. 5.* plures relati a Baſil. *c. 5. n. 5.* aſſerunt, oleum cum chriſmate eſſe eſſentialem materiam; non enim obſtant Clementis, Fabiani, & Cypriani teſtimonia, qui tantum aſſeverunt, deſiderari balſamum permixtum oleo in Confirmatione, quod non negamus; ſed id provenit ex inſtitutione Eccleſiæ, non vero ex præcepto divino. Nec Eugenii auctoritas adverſatur; nam eodem modo accipienda eſt, juxta præceptum Eccleſiæ, plerumque enim Eugen. IV. inter materias Sacramentorum recenſet, non tantum illas, quæ ex inſtitutione divina proveniunt, verum etiam illas, quæ ex præcepto Eccleſiæ præſcriptæ ſunt: unde cum recenſet materiam Sacramenti, aſſerit eſſe vinum ex vite, cum modiciſſimæ aquæ permixtione; cum nemo affirmaverit, ex divina inſtitutione hanc aquæ permixtionem provenire a jure divino, ut dicemus *in c. cum Marthæ*, *de celeb. Miſſ.* In Sacramento etiam Pœnitentiæ ipſe pro materia recenſet ſatisfactionem, & nemo negat ſatisfactionem eſſe tantum partem integralem, non vero eſſentialem Sacramenti. Quare ſimiliter in d. decreto Conc. Flor. mixtionem balſami a jure tantum eccleſiaſtico præſcriptam, ut neceſſariam aſſignat Eugen. IV.

Superiori aſſertioni opponitur text. *in Conc. Tolet. 8. can. 6.* in 12 Exponitur Conc. Tol. 8. can. 6.
illis verbis: *Ut cum Subdiaconi ordinantur cum vaſis miniſterii, benedictio eis ab Epiſcopo detur.* In quo textu apponitur, quoſdam Diaconos voluiſſe contrahere matrimonium poſt gradum Subdiaconatus acceptum, eo prætextu, quod tempore ordinationis ſuæ ſimul cum vaſis benedictionem ab Epiſcopo non acceperant; unde ut omnis excuſationis ratio ceſſaret, jubent Patres deinceps ſimul cum vaſis ipſam benedictionem accipere debere, ut ſic poſtea matrimonium contrahere non poſſint. Benedictionem in eo textu pro manus impoſitione accipi probatur ex Conc. Carth. 4. *can. 3.* ibi: *Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manus ſuper caput illius tenente.* Et *can. 4. Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat.* Et *can. 5. Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat.* Quem Canonem exponunt Menardus *ad Sacram. D. Greg. fol. 294.* Sauſay *in Panopl. Sacerd. par. 1. lib. 4. cap. 4.* Turr. *pro explan. Clem. cap. 11.* Tum ex illo textu deducitur, quod ſi in ordinatione omittatur manus impoſitio, gradus non confertur, ſiquidem ſine ea ordinatus in Subdiaconum poteſt matrimonium contrahere: igitur ea omiſſa; integra gradus col-

collatio iterari debet, non vero tantum manus impoſitio ſuppleri. Hujus difficultatis ſolutio provenit ex vera interpretatione illorum verborum, *Quia benedictionem a Pontifice ſe neſciunt recepiſſe*; ubi benedictio accipitur pro ordinatione. Benedictio enim plerumque ſignificat formam ordinationis, ſeu ipſam ordinationem. Conc. Altiſſiod. *can.* 20. ibi: *Quod ſi Presbyter, quod nefas eſt dicere, aut Diaconus, aut Subdiaconus poſt acceptam benedictionem infantes procreaverit*. Et *canon.* 21. *Non licet Presbytero in uno lecto poſt acceptam benedictionem cum Presbytera dormire*. Et *c. quorumdam*, 23. *diſt.* Conc. Hiſpal. 2. *can.* 5. ubi deciditur, non poſſe in ordinatione Presbyteri, aut Diaconi Epiſcopo manus imponente Presbyterum benedictionem facere: igitur *in d. can. 6. Conc. Tolet.* benedictionem non accepiſſe, idem importat, ac ordinatum non fuiſſe; & ſic Subdiaconus intendebat, licere ſibi contrahere matrimonium. Sed tunc inſtabis, quare ſi vere ordinati erant; aſſerebant ordinationem a Pontifice non accepiſſe. Cui inſtantiæ ſatisfacit Gibal. *de clauſura diſquiſit.* 3. *c.* 2. §. 2. ſupponendo, Chorepiſcopos olim in Eccleſia minores ordines conferre potuiſſe, ut probavi *in c. 2. de ordinatis ab Epiſcopo*; & docte, ut ſolet, illuſtrat Præceptor D. Franciſcus Ramos *in memoriali pro Epiſcop. Luſit. prop.* 4. §. 4. Unde cum in Hiſpania gradum Subdiaconatus, qui jam illis temporibus ſacer erat, ut dixi *in c. a multis, de tempor. ordin.* de facto conferrent, Subdiaconi ab illis initiati poſtea matrimonium contrahebant eo prætextu, quia ab Epiſcopo benedictionem non acceperant, ſed tantum a Chorepiſcopis Presbyteris, qui minores tantum gradus conferre poterant. Unde jubent Patres, ut de cetero ab Epiſcopo benedictionem, ideſt ordinationem accipiant, ut deinceps tamquam veri Subdiaconi ad nuptias non tranſeant.

13 Intelligitur c. 1. de clerico non ordinato. Secundo adverſatur ſuperiori aſſertioni text. *in c. 2. de cleric. non ordin.* ubi proponitur, Diaconum Miſſas celebraſſe; quæſtionis fuit, utrum ad gradum ſacerdotii aſcendere poſſit? Et reſpondit Pontifex, quod cum manus impoſitionem adhuc non acceperat, & nihilominus Sacrificium Miſſæ celebraverat, ad gradum Sacerdotis aſcendere non poſſe. Ex quo textu deducitur, in gradum Diaconatus conſtitutum, manus impoſitionem adhuc non habere: igitur non recte in noſtro capite aſſeritur, Diacono ſine manus impoſitione ordinato manus eſſe imponendas: non autem integram ordinationem eſſe repetendam, cum in Diaconi gradus collatione manus impoſitio non deſideretur. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, in eo textu non affirmari per collationem gradus Diaconatus Diaconum manus impoſitionem non accepiſſe, ſed tantum Diaconum per ordinationem in illo gradu non accepiſſe manus impoſitionem Presbyteri, quæ diverſa eſt a manus impoſitione Diaconali. Quæ interpretatio facile ſuadetur, ſi obſervemus cum Franciſco Hallier. *de ſacris elect. p.* 989. in collatione gradus Presbyteri unam tantum manum ab Epiſcopo imponi, in ordinatione vero Diaconi duas, juxta D. Clementem *l. 8. conſtit. c. 16. & 17.* Unde cum *in d. c. 2.* referatur manum ei non impoſuiſſe, colligitur in eo agi de manus impoſitione Presbyteri, non vero Diaconi; & juxta hanc interpretationem recte Pontificem affirmare Diaconum manus impoſitionem non accepiſſe.

14 Exponitur c. quorumdam, 23. diſt. Tertio etiam opponitur text. *in c. quorumdam*, 23. *diſt.* qui deductus proponitur ex Concil. Toletano, ſed falſo; nam tam ipſe, quam textus antecedens tranſcripti ſunt ex Conc. Hiſp. 2. *can.* 5. ubi Patres ita decreverunt: „Quinto judicio ad cognitionem noſtram Amani Egabrenſis Diaconi relato deductum eſt de quibuſdam ipſius Eccleſiæ clericis, quorum dum unus ad presbyteratum, duo ad Levitarum miniſterium ſacrarentur, Epiſcopus eorum, oculorum dolore detentus, fertur manum ſuam ſuper eos tantum poſuiſſe, & Presbyter quidam illis contra eccleſiaſticum ordinem benedictionem dediſſe; qui licet propter tantam præſumptionis audaciam poterat accuſatus judicio præſenti damnari, ſi adhuc in corpore poſitus, non fuiſſet mortis vocatione præventus; ſed quia jam ille examini divino relictus, humano judicio accuſari non poteſt, hi qui ſuperſunt, & ab eo non conſecrationis titulum, ſed ignominiæ potius eulogium perceperunt: Decrevimus, ut a gradu Sacerdotalis, vel Levitici ordinis, quem perverſe adepti ſunt, depoſiti, æquo judicio abutantur. Tales enim merito judicati, ſunt removendi, quia prave inventi ſunt conſtituti.„ Ex quibus conſtat, Presbyterum, vel Diaconum ordinatum abſque benedictione, dejiciendum eſſe a gradu ſuſcepto: igitur non recte in præſenti concluſione affirmatur, manus impoſitionem omiſſam in ſuſceptione Diaconatus, vel Presbyteratus, eſſe tantum ſupplendam; non vero ordinationem eſſe repetendam. Pro cujus textus interpretatione Gloſſ. ibi, *v. Amittant*, quam ſequitur Turriſcremata, exiſtimat in eo textu ordinationem Presbyteri, & Diaconi eſſe nullam ex defectu benedictionis, & lato modo dici amitti, quod nunquam receptum fuit. Sed hæc ſolutio convincitur ex eo, nam benedictio, quæ in eo caſu ab Epiſcopo omiſſa fuit, non erat eſſentialis ordinationi, ſiquidem non ſignificabat manus impoſitionem, ut *in can. 20. & 21. Conc. Altiſſiod.* ſupra relati; ſed accipitur pro oratione, quæ recitatur ab Epiſcopo poſt collationem cujuslibet gradus, quæ refertur in Sacramentali D. Greg. *p.* 235. ubi notavit Hugo Menardus *pag.* 274. Unde cum hæc benedictio non ſit eſſentialis ordinationi, ſed tantum cæremonialis ut probat Hallier. *de ſacris elect. ſect. 8. c. 11. p. 1305.* ideo benedictio non reiteratur. Deponuntur vero Sacerdos & Levita *in d. can.* 5. quia contra inſtituta ſacrorum Canonum benedictionem acceperunt a Presbytero, qui jus benedicendi non habebat, ut notat Loayſa *ibi*: Ex ſupra traditis etiam pro ratione decidendi accipit lucem text. *in c. unic. in princ. de ſacra unct.* cujus hiſtoriam, & interpretationem in ejus notis dedimus.

TITULUS XVII.

De filiis Presbyterorum Ordinandis, vel non,

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio a Pictavienſi.

Ut filii *b* Presbyterorum, & ceteri ex fornicatione nati ad ſacros ordines non promoveantur, niſi *c* aut Monachi fiant, aut in congregatione *d* canonica regulariter viventes: Prælationes vero nullatenus habeant. Sed neque *e* ſervi, niſi a dominis ſuis libertate donentur.

NOTÆ.

1 a *Pictavienſi.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 1. & reperitur text. *in can. 9. Conc. Pictav.* de quo Concilio nonnulla notavi *in c. 1. de ætat. & qualit.*

b *Filii Presbyterorum.*) Geniti videlicet ex concubitu, durante ſacerdotio habito, non vero legitime nati ante ſuſceptionem ordinum.

c *Aut.*) Ex hac disjunctiva, juncto hujus textus ſummario, in illis verbis: *Illegitimus non ordinatur, niſi ut religioſus fiat*; defendunt Fr. Eman. Rodrig. *t. 1. qq. regul. q. 13. art. 14.* Hier. Rodrig. *in compend. regul. q. 76. n. 7.* defectum natalium purgari per ingreſſum religionis tantum, etiam non ſecuta profeſſione. Sed neceſſariam eſſe profeſſionem in Religione, aut Eccleſia regulari, exprimitur in Canonibus, quos Belleforeſtius ex C. S. Dioniſii excerpſiſſe ſe teſtatur, quos ex verſione Gallica ejuſdem Belleforeſtii latine ita donavit Serarius; *Nec filios Presbyterorum, aut aliter etiam ex concubinis ſuſceptos liberos ad Presbyteratus gradum provehi liceret, niſi in aliquo Monaſterio Religionem profeſſi eſſent.* Defendunt Sanch. *l. 5. in Decal. c. 5. n. 22.* Barboſa *in præſenti*, Gibal. *de irregul. c. 6. conſect.* 1. Nec contrarium ſuadet noſter textus; nam etiam retenta disjunctiva, *aut*, quam omitti in Barcinonenſi teſtatur Ant. Aug. *in notis ad noſtrum textum*, dicendum eſt disjunctivam, *aut*, tantum ſeparare ingreſſum religionis a profeſſione vitæ regularis in Eccleſia regulari, ut ſenſus ſit, filium illegitimum ordinari non poſſe, niſi vitam regularem profiteatur, aut in religione, aut in Eccleſia Canonicorum regularium.

d *In congregatione canonica.*) Ideſt Canonicorum regularium, ut exprimitur *in c. 1. 56. diſt.* quarum Eccleſiarum congregationes per diverſas Provincias erectas refert Gabriel Pennotus *l. 3. hiſt. canonic. regul. per totum.*

e *Servi.*) Hæc verba adjecit Raymund. ut integrum canonem tranſcriberet; non quia quid commune habeat irregularitas, quæ provenit ex vinculo perſonali, ut ſervitus, cum ea quæ provenit ex defectu natalium. Non tamen me latet, aliquando in Eccleſia Presbyterorum filios in pœnam incontinentiæ paternæ ſervitio Eccleſiæ fuiſſe mancipatos, ut poſtea probabimus. Hanc igitur partem in ſuo proprio rubro *de ſervis non ordinandis*, dabimus. 2

COMMENTARIUM.

Ex hoc Conc. Pictav. brevi, & conciſo Canone communiter deducitur hæc aſſertio: *Filii illegitimi non ordinantur, niſi profiteantur Religionem; & tunc in ipſa ad Prælaturas non admittuntur.* Probant eam textus *in cap. 1. cap. niſi 11. & per totam 56. diſt. cap. Cenomanenſem, 59. diſt. cap. tali conjugio 1. qu. 7. cap. cum multi 15. qu. 8. cap. ult. 19. quæſt. ult. cap. præſens 20. qu. 3. cap. cum inter 21. de elect. c. niſi, §. perſona, de renunt. cap. prapoſuit 3. cap. quoniam 10. juncta integra, cap. final. hoc tit. cap. conſuluit, de ſervis non ordin. cap. per venerabilem, qui filii ſint legitimi, cap. accedens 14. de purgat. canonic. cap. unic. hoc tit. lib. 6. cap. quod ſuper, hoc tit. in 1. collect. c. eos qui 1. q. 4.* Conc. Avernen. ſub Urbano II. apud Malmesb. & Matth. Pariſium: ibi: *Quod filii Presbyterorum & concubinarum ad Presbyteratum non promoveantur, niſi prius ad religioſam vitam tranſierint*, Pontifex Rom. Gregor. VII. in Synodo Romana *can.* 19. ibi: *Filii Presbyteri non ordinentur.* Concil. Claromont. ſub Urbano II. *canon.* 25. *Nec filii Presbyterorum ad Diaconorum, vel Subdiaconorum, aut Canonicorum ordines, vel ad altos honores Eccleſiaſticos non promoveantur, niſi monachus, vel regularis canonicus fiat.* Concil. Bituric. *canon.* 8. *Filii Presbyterorum, ſive Diaconorum, ſive Subdiaconorum, in ſacerdotio, vel diaconatu, vel ſubdiaconatu nati nullo modo ulterius ad clericatum ſuſcipiantur.* Et *canon.* 11. *Statutum eſt, ut Epiſcopi, quando fecerint clericos, audiente populo excommunicent, ut nullus offerat eis ad clericatum filium Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi.* Concil. Later. ſub Alexand. III. *p. 19. c.* 2. Concil. Nannetenſe, a quo hanc prohibitionem originem duxiſſe refert Hildebert. Cenom. *ep. 65. tom. 12. Biblioth. veterum Patrum*, Trident. *ſeſſ. 22. de reform. c.* 6. Salesburgenſe tempore Martini V. *can.* 6. *Nullus illegitime natus ad aliquem ſacrum ordinem, vel beneficium, aut officium curam habens animarum ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ admittatur in aliqua Eccleſia ſæculari.* Et *cap. 2. hoc tit. in 2. collect.* Conſonat lex 12. *tit. 6. p.* 1. Alia juris teſtimonia congerunt Anton. Auguſt. *in epit. juris, l. 6. tit. 60. & l. 7. tit.* 21. Julius Lavor. *de elect. tit. 4. cap. 16. n.* 24. Illuſtrant plures congeſti a Cenedo ad Decretum, *collect.* 62. Barboſa *in præſenti*, & in ſelectis ad textum *in c. cum deputari, de judiciis, & de poteſt. Epiſc. alleg. 45. & i. 1. juris eccleſ. c. 33. num. 149. & c. 42. n.* 157. Balſamon *in can. 33. ſextæ Synodi in Trull.* Chopin. *l. 1. monaſt. tit. 3. num.* 7. Tambur. *tom. 1. de jure Abbat. diſp. 5. quæſit.* 14. Garcia *tom. 1. politiæ regul. tr. 2. diffic. 2. dub.* 8. Petrus Greg. *l. 4. partit. tit. 2. c. 1. & l. 1. de reſcript. c. 27. & de benef. c.* 35. Lantdmet. *l. 2. de veteri monacho, cap. 16. & 17.* Vighell. *in meth. juris can. fol.* 245. Acunna in Dartis *in d. 56. diſt.* Suarez *de cenſur. diſp. 50. ſect.* 1. Eſpenceus *ad D. Paulum l. 3. digreſſ. c.* 11. Vega *in c. cum deputari 16. n. 21. de judiciis*, Laurenus *l. 4. de ſacris Eccleſiæ, c.* 5. Sauſay *in Panopl. cleric. p. 1. l. 6. c. 2. §.* 1. Gibal. *de irregul. 1. p. c. 3. & c. 6. per tot.* Corraſius *de benef. l. 3. c.* 2. Garcia *eod. tr. 7. p. c. 2. n.* 1. Dartis *eod. tr. ſect. 4. c.* 2. Loayſa *in can. 10. Conc. Tolet.* 9. Diana *p. 10. tr. 9. & tr. 13. reſ.* 39. Zerda *in Judith t. 1. cap. 8. verſ. 15. pag.* 421. Creſolius *l. 2. myſtag. c.* 4. Ægidius *de privil. honeſt. art. 16. n.* 23. Rufiniacus *l. 3. conſtitut. tit.* 13. Solorzanus *t. 2. de jure Indiar. l. 3. c. 20. n.* 7. Valenſis *de beneficiis l. 1. tit.* 18. Fermoſinus *in d. c. cum deputari, q.* 4. Eſcobar. *de purit. ſanguin. q. 4. §.* 6. Acacius Ripold. *de privil. parentum, privil. 3. c. 2. n.* 41. Arnyſeus *tom. 1. polit. lib. 2. de repud. c. 2. ſect.* 13.

4 Impugnatur præſens aſſertio. Hæc aſſertio ita auctoritatibus illuſtrata, juri & rationi contraria videtur; nam ex adulterio naſci non eſt culpa ejus, qui naſcitur, ſed illius, qui generat, *c. naſci, 56. diſt.* & undecumque homo naſcatur, ſi eum parentum vitia non ſectentur, reprehenſibilis non eſt, *c. undecumque, eadem diſt.* nec parentum iniquitas, ſed propria quemque condemnat, *c. ſponſus, c. Iſmael, ead. diſt.* quia delicta parentum filiis non imputantur, *c. non imputantur, 1. q.* 4. nec deneganda eſt dignitas ei, qui reatum non admiſit, *l. ſpurii, ff. de decurionibus*: igitur tantum ob defectum natalium, quia videlicet quis naſcitur illegitimus, ideo arceri a ſacris ordinibus non debet. Accedit, nam interdum illegitimi Dei gratia maculam illegitimitatis adeo repulerunt, ut viri præſtantiſſimi evaſerint, magnaque, & præclara munia objerint. Nonnulla exempla refert Gratianus *in c. Oſius, 56. diſt.* alia Regum, Conſultorum, & aliorum, ut Gratiani, Petri Lombardi, Petri Comeſtoris, congeſſerunt Tiraquel. *de nobilit. c. 15. ex n.* 3. Paleotus *de notis c.* 55. Alciatus *l. 10. parerg. c.* 8. Arniſeus *t. 1. polit. l. 2. de rebus publicis, c. 2. ſect.* 13. Petrus Greg. *de republ. l. 7. c.* 8. Duarenus *l. 4. de ſacris, c.* 6. Salazar *in notis ad Gongoram, in fabula Pyrami, pag.* 158. licet eos ab hac calumnia defendat Raynaud. *in Oplotheca, ſect. 2. c. 3. ſerie* 1. Igitur cum illegitimi ex natalium defectu litteris, virtutibus, aliiſque animi dotibus non deſtituantur, non debent a ſacris Ordinibus arceri. Ea etiam pars aſſertionis, ubi affirmatur, per profeſſionem regularem hanc irregularitatis ſpeciem tolli, licet non quoad Prælaturas regulares, difficilis redditur ex eo: nam per profeſſionem in Religione ſollemniter emiſſam non tollitur irregularitas antea contracta, *c. cum deputari de judiciis, c. 2. de apoſtatis*: igitur per profeſſionem Religionis irregularitas, quæ provenit ex defectu natalium, non tollitur. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam ſi hæc irregularitatis ſpecies poſt profeſſionem in religione ceſſaret, maxime ex eo, quia profeſſio baptiſmo æquiparatur, ut probant, & illuſtrant Roſavedius *in vita S. Athanaſii, pag.* 68. Benedictus Epthenus *l. 4. diſq. monaſt. tr. 8. diſq. 2. & 3.* ſed per baptiſmum non tollitur irregularitas, quæ provenit ex defectu natalium, ut ex pluribus relatis docet Gibal. *de irreg. c. 5. q. 1. cum ſeqq.* igitur per profeſſionem, quæ late dicitur baptiſmus non tollitur irregularitas ex defectu proveniens.

5 De filiis Presbyterorum. Sed adhuc aſſerendum eſt, Presbyterorum filios, & alios illegitime natos ad ordines aſcendere non valere, niſi in Religione profeſſi ſint; & tunc ad Prælaturas non admitti. Ad cujus expoſitionem ſciendum eſt, omiſſis variis filiorum diviſionibus, quas referunt Paleotus *in tr. de notis & ſpuriis*, Eſcobar *ubi ſupra*, in noſtra rubrica agi de filiis Presbyterorum, qui triplici modo conſiderari poſſunt. Primo ſuſcepti ante clericatum ex legitimo matrimonio; & de his filiis legitimis agitur *in c. præſentium, c. conquerente, c. veniens, c. ex tranſmiſſa, c. ex tua, c. conſtitutus, c. ad extirpanda, c. ad hæc, c. Michael, c. dilectus, hoc tit.* Ubi proponitur prohibitio, ne filii, quantumvis legitimi, ſuccedant patribus in beneficiis eccleſiaſticis: quare rubrica noſtra in vetuſtis codicibus concipitur, *de filiis Presbyterorum non ordinandis, nec in paternis Eccleſiis tolerandis.* Et adhuc titulus noſter prout jacet in ſexta collectione, utramque prohibitionem, & ordinandi filios illegitimos, & eligendi in beneficiis paternis complectitur, ſi verbum *ordinare*, referamus non ſolum ad promotionem ad ordines, verum & ad electionem in beneficiis, ut plerumque verbum *electio*, conſideratur: probat Hallierius *de ſacris elect. c. 1. §.* 1. Alio modo conſiderantur filii Presbyterorum, videlicet ſuſcepti extra matrimonium poſt ordines receptos, de quibus ad ordines non promovendis, nec in beneficiis paternis ſubſtituendis agitur *in c. 1. c. 2. c. cum decorem, c. ult. hoc titul.* Tertio filii Presbyterorum accipiuntur pro filiis legitimis, licite ſuſceptis; cum videlicet pater poſt converſionem uxoris ad religionem Presbyter ordinatur, & poſtea filios procreavit; naſcuntur enim licet ex copula illicita, legitimi: de his agitur *in c. litteras, hoc tit.*

6 De defectu natalium. Secundo ſciendum eſt, filios illegitimos, vulgo ſpurios dictos, ſive a presbyteris, ſive a laicis ſuſceptos, ex defectu natalium ordinari non poſſe ex noſtro textu, & aliis ſupra citatis. Quæ prohibitio etiam in lege veteri vigebat, talis enim ſoboles ita exoſa erat, ut uſque ad decimam generationem ab ingreſſu Eccleſiæ arceretur, *c. 23. Deuter.* refertur *in c. per venerabilem, qui filii ſint legitimi.* Philo Judæus *in Decal. In ſacerdote & hominum genus examinatur, utrum culpabile.* Nec ſine ratione hæc irregularitatis ſpecies tam in lege veteri, quam gratiæ ſtatuta fuit. Et omiſſis aliis rationibus traditis a Doctoribus ſupra relatis, duas tantum pro præſenti aſſertione adſtruenda in medium adducam. Prima provenit ex præſumptione incontinentiæ paternæ; ſæpe enim eventus docuit, filios non tantum corporis ſubſtantiam a parentibus, verum, & genium, affectionem, virtutes, & vitia accipere, & de facili parentum paſſiones in liberis repræſentari. Julianus Apoſtata *in Miſopog.* ibi: „Nepotes avum generis, vel certe nominis auctorem imitantur; nam quemadmodum in plantis veriſimile eſt diffundi qualitates quam latiſſime, ac fortaſſe etiam in totum ſimilia naſci, ea, quæ gignuntur iis, unde orta ſunt: ſic etiam in hominibus credibile eſt, nepotum mores avitis affines eſſe.„ Quod Horatius notavit illo vulgari loco:

Fortes creantur fortibus, & bonis;
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Et Cicero *l. 6. epiſt. 6. ad Cecinnam*, aſſerit filium imaginem eſſe animi, & corporis patris: & Quintilianus *l. 5. inſtit. cap.* 20. ait: Quod filii ſimiles parentibus ac majoribus ſuis plerumque creduntur, & nonnunquam ad honeſte, turpiterque vivendum inde cauſæ fluunt. Adſtipulatur Juvenalis *ſatyra* 14.

—— Expectas, ut non ſit adultera, Large,
Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam cito, nec tanto poterit contexere curſu,
Ut non terdecies reſpiret.

Notumque eſt illud proverbium apud Græcos: *Mali corvi malum ovum*, id eſt ex malis parentibus mali plerumque filii generantur, *c. ſi gens, 56. diſt.* Plura cumularunt Symanchas *l. 1. de primogeniis, c. 11. & l. 5. de repub. c. 3. per totum*, Petrus Gregorius *de benefic. c.* 35. Eſcobar *de purit. conſang. 1. p. q. 1. §.* 4. D. Anton. Feloaga *in l. quiſquis, Cod. ad l. Juliam maeſt.* Altamiranus *in l. 1. Cod. de filis offic.* Tiraquel. *in l. 7. connub. gloſ. 1. p.* 7. Thom. Sanch. *l. 2. in Decal. c. 27. nu.* 10. Hinc Imper. *in l. quiſquis Cod. ad l. Juliam majeſt.* ajunt: *Filii vero ejus paterno deberent perire ſupplicio, in quibus paterni, hoc eſt hereditarii criminis exempla metuuntur.* Faciunt Salomon *in c. 3. Prover.* ibi: *Cum nequiſſimorum nequiſſimi etiam ſint filii*, Ezech. *c. 16. Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan; pater tuus Amorrhæus, & mater tua Ethea.* Stobæus *ſerm.* 88. *Recte probum ab improbo non poſſe naſci filium.* Ariſt. *l. 1. polit. c. 4. & l. 3. c.* 8. Plura Theophil. *tom. 3. tr. 3. q. 1. art.* 3. Juſte ergo filii Presbyterorum a ſacris arcentur, quoniam creduntur luxuriæ, & incontinentiæ paternæ imitatores futuri. Secunda ratio hujus deciſionis provenit ex eo, ut hoc incontinentiæ paternæ crimen in perſonis Eccleſiaſticis radicitus extirpetur; variis enim pœnis puniuntur tam ipſi, quam eorum concubinæ, necnon proles ex tali concubinatu ſuſcepta. De pœnis ipſorum ſuo loco agemus, videlicet *in c. 6. de clericis conjug.* Concubinæ ipſæ, ut mancipia jubentur venundari ab Epiſcopis, & earum pretium in pauperes erogari, in Conc. Tolet. 3. *can.* 5. Tolet. 4. *can.* 42. Tolet. 8. *canon.* 5. & a Catholico Rege Recharedo jubetur *in l. 18. tit. 4. l. 3. fori*, ut hujuſmodi mulieres centenis flagellis ſubjiciantur: & cum magis parentes terreantur in perſonis filiorum, quam in ſeipſis, *l. iſti quidem 8. ff. quod metus cauſa, c. cum ergo, §. ſed quid, 24. q.* 3. conſtitutum fuit, ut filii ſuſcepti ex tali concubinatu, ſervi Eccleſiæ naſcerentur. Conc. Tolet. 9. *can.* 10. relatum *in cap. multa 15. q.* 8. nec parentibus in bonis ſuccedant, *c. unico, de ſucceſſ. ab inteſt. in 5. collect.* & ab ordinibus removeantur, ut ſic diſcant parentes ex illegitima conjunctione non eſſe filios generandos, quos cognoſcunt vulgo ſpernendos, ut ait Imperator *in l. fin. Cod. de naturalibus liberis.* Pulchre Arnulphus Lexovienſis *edict. ad Legatos: Non expedit provinciæ noſtræ, in qua quotidie tam impudenter impudicitia convaleſcit, filios Presbyterorum paternis altaribus adhiberi.* Nec nova, aut inſolens eſt pœna dicti Concilii Tolet. cum ſæpius legamus publicari perſonas ob delictum. Lampridius *in Alexandro Severo*, ait: *Mulieres infames, quarum infinitum numerum deprehenderat, publicari juſſit.* Illuſtrat.